



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Evsebivs || De Euangelica pr[a]eparatione

Eusebius <Caesariensis>

[Augsburg], 1522

VD16 E 4299

Quod commode per fabulas adolescentibus maiora tradenda sunt. Cap. ij.

urn:nbn:de:hbz:466:1-34477

Quod commode per fabulas adolescentibus maiora tradenda sunt. CAPVT. II.

Primum deinde inquit pueris fabulas tradimus. Fabula vero est. ut breuiter dixerim, falsum quiddam, quamuis & uerum esse possit, Fabulis autem priusquam gymnasijs pueri exercendi sunt. Hec Plato, Iudaei autem re ipsa scripturae historiam simpliciter, quasi fabulas adolescentulis tradere solent. Cumque non magis aetate quam habitu scripturae creuerint, altiora & latentia dogmata per secundarios docent. Maximum deinde ait Plato, in omni opere principium est, praesertim in iuuenes atque tenero, tunc enim praecipue animus formatur, & quicquid dixeris, facilius ingressum insidet. Quare non quascunque fabulas, sed probatas ac utiles a matribus atque nutricibus tenellis puellis infundant, quasi iam adultos prouectosque retinere non erit inutile. Haec multo ante Platonem Iudaei obseruabant. Qui enim sancti spiritus gratia discernere de spiritibus poterant, dicta & scripta diligenter examinabant, & quae aliena uidebantur a ueritate, sicut pseudo prophetarum libri reprobantur: scriptura quoque, ut diximus, historiae parentes & nutrices tenellis pueris infundere solebant, ut eis facilius cum uiri essent uterentur.

Quod sincera fide Plato scripturae inhaesisse uideatur.

CAPVT. III.

Plato autem in Gorgia. Audi sermonem inquit, quem tu fabulosum dices, ego uero uerissimum arbitror. Et post pauca. Qui iuste sancteque uixit, eum postquam mortuus fuerit, in beatorum insulas profectum absque ullo incommodo summa in beatitudine uiuere. Qui uero iniuste atque impie eum in atrocissima proficisci supplicia, quae tartarum appellat. Et post pauca. Nudi autem mortui iudicantur, & iudex ipse nudus est, quia defunctus, & animo animum perspicit ab omnibus derelictum cognatis, ac caeteris quae hic habebat, ut iustum iudicium sit. Et subiicit. Haec sunt o Callicules, quae ipse audiui, & uera esse apprime credo. Ex his autem sermonibus tale quod ipse mecum ratiocinari soleo, nihil aliud mors mihi uidetur, quam corporis atque animae dissolutio, quae postquam disiuncta fuerit, retinet utrumque habitum suum, quae homine uiuo habuerat. Nam corpus si magnum erat uiuo homine, & mortuo quoque ma-

D iij gnum: